



BREVE S. D. N. PAPAE
GREGORII XV.

NOBILISSIMO VVALLIAE PRIN-
CIPi MAGNAE BRITANNIAE
REGIS FILIO.

GREGORIVS PAPA XV.



NOBILISSIME PRINCEPS, Salutem & lumen
diuinae gratiae. Britannia illustrium virorum, ac virtutum ferax,
cum verumq; terrarum Orbem nominis sui gloria impleat, Pon-
tificias etiam cogitationes sanctissime ad suarum laudem spectacu-
lum euocat. Illam enim in ipsis nascentis Ecclesiae cunabulis tanto studio Rex
regum, seligere voluit hereditatem sibi, ut illuc non fore peris Romano: um
Aquila quam Crucis vexilla penetrasse dicantur: porro autem non paucius
Reges scientiam salutis edocet, exterisq; nationibus, ac consequibus acatibus
praebentes Christiana pietatis exempla Crucem scepro, & religionis discipli-
nam dominationis cupiditati praetulerunt: itaq; in caelo promeruerint Pri-
ncipatus beatitudinis sempiternae, consecuti sunt in terris triumphalia sanctita-
tis ornamenta. Hoc autem tempore quo Anglicanae Ecclesiae status inmutatus
est, humanis tamen virtutibus Anglicanam Regiam ornari, atq; communiti
perspicimus, quae charitatis nostrae solatia, & Christiani nominis decora foret,
sicut haberi possent orthodoxae veritatis praesidia. Quare quo nos Serenissimi
parentis gloria, & Regij ingenij tui indoles magis oblectat, & ue ardentius
cupimus vobis caelestis Regni fores patefieri, atq; vniuersa Ecclesia amorem
conciliari. Tum cum sanctissima memoria Pontifex Gregorius Magnus An-
gliae populis, Regibusq; Euangelicas leges & Apostolicae auctoritatis cultum
intulerit, Nos ut sanctimoniam ac virtute longè inferiores, ita nominis simi-
litudine, atq; dignitatis fastigio pares beatissima eius vestigia sequi par est
in istarum Prouinciarum salute curanda, praesertim cum hoc tempore ad ali-
cuius non vulgari felicitatis spem Nos erigat consilium tuum Nobilissime
Princeps. Quare cum in Hispanias ad Catholicum Regem te contuleris Au-
striae coniugij cupidum, desiderium hoc tuum laudare apprime volumus,
tum etiam luculenter etiam in praesenti reru opportunitate testari, te ad pra-
cipuas Pontificatus nostri curas pertinere. Cum enim Catholicam virginem
matrimonio tibi iungere studeas, facile conjicere possumus videri a illa Chri-
stiana pietatis semina, quae in Regum Britannorum animis ad id feliciter flo-
ruerunt, in visceribus tuis Deo incrementis diuante reuirescere posse. Neq; enim
tuismodi nuptias amaret quem teneret Catholicae Religionis caenam, & Ro-

mana seais oppressio deletaret. Proinde Nos accuratissimis precibus obsecra-
ri iussimus Patrem luminum, ut te Christiani Orbis florem, & magna
Britanniae spem in eius hereditatis possessionem perducatur, quam tibi clarissi-
mam maiores tui pepererunt, Pontificia auctoritate tuenda, & haeresum por-
tentis profligandis. Memento dierum antiquorum, interroga patres tuos, &
dicent tibi, qua peratur caelum via, quod iter mortales Principes insistentes
ad sempiterna Regna progrediantur. Inuere patefactis caeli foribus sanctissi-
mos illos Angliae Reges, qui Romam Angelis comitantibus profecti domina-
rium Dominum, & Apostolorum Principem in Apostolica sede coluerunt.
Eorum facta atque exempla Dei loquentes voces sunt, quae te hortantur, ut tu
rum instructa secleris, in quorum imperium peruenies. Fieri ne poterit, ut tu
ab haereticis eos patiaris impiecatu condempnari, & in sempiterni horrore car-
cerem detruas quos in caelo cum Christo regnare, cumque terrarum Principibus
praesse Catholica Ecclesia fides te statuit. In nunc e beata illa patria tibi
manum porrigunt, qui sospitem te ad Catholici Regis aulam perduxerunt, atque
ad Romana Ecclesiae gremium reducere cupiunt. Ea vero gemitibus inenar-
rabilibus Deum clementiae pro tua salute venerans brachia Pontificiae chari-
tatis protendit te desideratissimum filium amantissime complectura, tibique
beatam caelestis Regni spem ostentans. Certe Christiana Republica nationi-
bus nullum tribuere solatium maius potes, quam si Principem Apostolorum,
cuius auctoritas Regnorum propugnaculum, & diuinitatis oraculum in Bri-
tannia Regia tamdiu habitata est, in tua nobilissime Insula possessionem redu-
xeris. Quod quidem haud difficulter contingeret, si cor tuum, quo Regni illius
prosperitas continetur, pulsanti Domino parefacies. Tanto charitate Regalis
nominis laudibus fauemus, ut te in Orbe terrarum una cum serenissimo pare-
re Britannia liberatorem, restitoremque auctorem religionis nuncupari cupia-
mus. Quod certe desperare notuimus freti Deo, in cuius manibus corda Regum
sunt, & qui sanabiles fecit nationes Orbis terrarum, quem tibi omni, qua pos-
sumus industria conciliare semper conabimur. Tu vero in his literis Pontifi-
ciae charitatis sollicitudinem agnosce felicitatem tuam curantis: quas certe nu-
quam nos exarasse penitebit, si eorum letitia aliquos saltem Catholicae Reli-
gionis igniculos exciabit in corde tanti Principis, quem diuurna laetitia per-
frui, & virtutum omnium gloria florere cupimus. Datum Romae apud san-
ctum Petrum die vigesima Aprilis 1623. Pontificatus nostri anno tertio.

Ioannes Ciampolus Secretarius.